DIE XXVIII. APRILIS.

IN FESTO

S. PAULI A CRUCE,

CONFESSORIS.

Introitus. *Gal.* 2.

CHRISTO confíxus sum cruci : vivo autem, jam non ego : vivit vero in me Christus : in fide vivo Fílii Dei, qui diléxit me, et trádidit semetípsum pro me. Allelúia, allelúia. Ps. 40. Beátus qui intélligit super egénum et páuperem : in die mala liberábit eum Dóminus. ℣. Glória Patri.

Oratio.

DOMINE Jesu Christe, qui ad mystérium Crucis prædicándum sanctum Paulum singulári charitáte donásti, et per eum novam in Ecclésia famíliam floréscere voluísti : ipsíus nobis intercessióne concéde; ut Passiónem tuam júgiter recoléntes in terris, ejúsdem fructum cónsequi mereámur in cœlis. Qui vivis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1. Cor. 1.

FRATRES, Non misit me Christus baptizáre, sed evangelizáre non in sapiéntia verbi, ut non evacuétur crux Christi. Verbum enim crucis pereúntibus quidem stultítia est; iis autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim: Perdam sapiéntiam sapiéntium, et prudéntiam prudéntium reprobábo. Ubi sápiens ? ubi scriba ? ubi conquisítor hujus sæculi ? Nonne stultam fecit Deus sapiéntiam hujus mundi ? Nam, quia in Dei sapiéntia non cognóvit mundus per sapiéntiam Deum, plácuit Deo per stultítiam prædicatiónis salvos fácere credéntes. Quóniam et Judæi signa petunt, et Græci sapiéntiam quærunt : nos autem prædicámus Christum crucifíxum, Judæis quidem scándalum, géntibus autem stultítiam ; ipsis autem vocátis, Judæis atque Græcis, Christum, Dei virtútem et Dei sapiéntiam : quia quod stultum est Dei sapiéntius est homínibus ; et quod infírmum est Dei, fórtius est homínibus.

Allelúia, allelúia. ℣. 2. Cor. 5. Pro ómnibus mórtuus est Christus ; ut et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mórtuus est et resurréxit. Allelúia. ℣. Rom. 8. Si fílii, et hærédes quidem Dei, cohærédes autem Christi, si tamen compátimur, ut et conglorificémur. Allelúia.

Graduale extra tempus Paschale. Gal. 6. Mihi autem absit gloriári, nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi, per quem mundus crucifíxus est, et ego mundo. ℣. 1. Cor. 1. Non judicávi me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum et hunc crucifíxum.

Allelúia, allelúia. ℣. 1. Petr. 2. Christus passus est pro nobis, vobis relínquens exémplum, ut sequámini vestígia ejus. Allelúia.

Post Septuag., Tractus. 1. Petr. 4. Christo ígitur passo in carne, et vos eádem cogitatióne armámini : Quia qui passus est in carne, désiit a peccátis. ℣. 2. Cor. 4. Semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferéntes, ut et vita Jesu manifestétur in corpóribus nostris. ℣. Hebr. 12. Adspiciéntes in Auctórem fídei et consummatórem Jesum, qui, propósito sibi gáudio, sustínuit crucem, confusióne contémpta, atque in déxtera sedis Dei sedet.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. c. 10.

In illo témpore : Designávit Dóminus, et álios septuagínta duos, et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis : Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite : ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta : et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite, Pax huic dómui, et si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra : sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes et bibéntes quæ apud illos sunt : dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte quæ apponúntur vobis : et curáte infírmos, qui in illa sunt, et dícite illis : Appropinquávit in vos regnum Dei.

Offertorium. Ephes. 5. Ambuláte in dilectióne, sicut et Christus diléxit nos, et trádidit semetípsum pro nobis oblatiónem et hóstiam Deo, in odórem suavitátis. Allelúia.

Secreta.

Cœlestem nobis, Dómine, præbeant mystéria hæc Passiónis et Mortis tuæ fervórem, quo sanctus Paulus, ea offeréndo, corpus suum hóstiam vivéntem, sanctam, tibíque placéntem exhíbuit. Qui vivis.

Communio. 1. Petr. 4. Communicántes Christi passiónibus gaudéte, ut in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis exultántes. Allelúia.

Postcommunio.

Sumpsimus, Dómine, divínum Sacraméntum imménsæ charitátis tuæ memoriále perpétuum : tríbue, quæsumus, ut sancti Pauli méritis et imitatióne, aquam de fóntibus tuis hauriámus in vitam ætérnam saliéntem et tuam sacratíssimam Passiónem córdibus nostris impréssam móribus et vita teneámus. Qui vivis et regnas.

Concordat cum originali existenti in Secretaria Congregationis Sacrorum Rituum. In fidem, etc. Ex eadem Secretaria hac die 10 Septembris 1867.

Pro R. P. D. DOMINICO BARTOLINI, Secretario.

JOSEPHUS CICCOLINI, Substitutus.

Hæc Missa, quæ cum Originali suo omnino concordat, imprimi potest.

Quebeci, 1 Junii 1869.

✠ CAROLUS FRANCISCUS, ARCH. QUEBECEN.